



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

182. Domin infra Oct. Corp. Christi. In Evcharistia sunt omnia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Domin. infra Oct. Corp Christi. 321

tus sancti, & duodecim fructus ejus. Orabo
etiam B. Virginem, ut cum hic etiam sit
Caro & Sanguis ejus, dignè ijs frui possim.

MEDITATIO CLXXXII.

Domin. infra Oct. Corporis Christi.

In Eucharistia sunt omnia.

Videbo mensam illam magnam, coelestem, plenam pinguedine vitæ æternæ, ubi spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, cum bonis omnibus: *Quia Deus hic nobis datur, & Deus est omnia*, ait S. Cyrill. hic Petam agnoscere omne bonum hinc contentum, eoque frui.

Conf. 1. Septem accubitus Regis Christi: In sinu Patris, in sinu Virginis, in Præsepio, in Cruce, in iustis, in dextera Dei, in Venerabili: Ubi proponitur vitulus signatus, quia *hoc Venerabile Sacramentum est impinguatum dilectione, propterea figuratum fuit per vitulum saginatum* ait S. Bernard. Senens. tom. 2. & Filius senior indignatur, nam ferè natura Angelica turbatur, non vestem gratiæ, non annulum Fidei æmulans, sed vitulum saginatum, Corpus, & Sanguinem Domini.

Conf. 2. Quomodo in hoc accubitu & ferculo parâdo, Deus suam omnipotentiam impenderit, & totam insumpserit juxta illud

○ § Bernardi,

322 *Domini. infr. Ocl. Corp. Christi.*

Bernardi, lib. de diligendo Deo: *Quid enim melius se ipso poterat dare vel ipse?*

Conf. 3. Quomodo insumpsit suam Sapientiam, *Qui facit mirabilia solus*, Ps 71. Non datur Scientia major, quam sit DEI, quæ in hoc ferculo communicatur, juxta illud Ruperti Abbat. in cap. 6. Joan. *Domini illusionem nequissimi, qui dixit: Eritis sicut Dij, non sine magno ejusdem cruciatu serio loquens in verum effectum convertit.*

Conf. 4. Quomodo insumpsit Bonitatem suam: quia, ut ait Chrysostr. in illud Joann. 13. *In finem dilexit eos: nihil omisit, quod vehementer amantem deceret.*

Conf. 5. Quomodo insumpsit Misericordiam suam, sicut ipse ait: *Ego veni, ut vitam habeant (Theophil explicat) in incarnatione, & abundantius habeant in Eucharistia.*

Conf. 6. Quomodo, si fieri posset, ut esuriret Deus, solâ Eucharistiâ esset satiabilis, juxta illud Psal. 40. *Si esuriero, non dicam tibi, &c. Nunquid manducabo carnes taurorum? &c. Immola Deo sacrificium laudis, id est, Eucharistiam* inquit D. Chrysostr. additque (in 1. ad Cor. cap. 10.) *Dicendo Eucharistiam omnem Bonitatis thesaurum aperto, Si, ut ait Salvianus lib. 2. Dona illius etiam tua vota vicerunt, optimè infert, Bern, supra citatus:*

Amorem

Fer. 2. Dom. infr. Oct. Corp. Christ. 323

*Multum meruit de nobis, qui immeritis dedit
seipsum nobis. Et serm. 20. in Cant. Disce à
Christo, quomodo diligas Christum. Qui to-
tum dat, totum petit.*

MEDITATIO CLXXXIII.

Feria 2. Dom. infr. Oct. Corp. Christ.

*De duodecim Fructibus Ve-
nerabilis.*

Vldebo cibum, qui Angelis est in deli-
cijijs, quomodo homini sit in medicinam.
*Audiat Christianus quilibet Corpus Christi
de Altari participans, quantam de eo possit
sumere medicinam, quando mulier totam ra-
puit de sola Christi fimbria sanitatem. Ita S.
Paschas. in Matt. c. 9. Petam fieri particeps
hujus medelæ.*

*Conf. 1. Quomodo in duodecim mala
ex arbore mortis prolapsi sumus: In pecca-
tum, fomitem, errores, tentationes, tepidita-
tem, exiliū, oblivionē, defectibilitatē, mortē,
à Deo separati, Fide imminuti, Spe lapsi.*

*Conf. 2. Quomodo Eucharistiæ beneficio
restituamur: In hoc enim differt sacrificium
in Cruce, & in Altari, quòd illud nemini in
particulari donum ullum concesserit im-
mediatè, sed fuerit tantum sufficiens in ge-
nere pro omnibus, ac velut in abstracto: hoc
verò tribuat cuique, quam Deus determi-*